

Qui propter nos homines et propt. nostr. salut. descendit de coelis. Et incar. est de Spir. s. ex *Maria V.* et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub P. P., passus et sepultus est. Et resurr. tertia die secundum scripturas et ascendit in coelum, sedet ad dext. P. et iterum venturus est iudicare vivos et mortuos; cujus regni non erit finis. Et in Spir. s. Dom. et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Pat. et Filio simul adoratur et conglorif., qui locutus est per prophetas. Et unam s., cath. et ap. Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remiss. peccatorum. Et exspecto resurr. mortuorum. Et vitam vent. saeculi. Amen.

Ap. et ecclesiast. traditiones reliquasque ejusdem Ecclesiae observationes et constitut. firmissime admitto et amplector. *Item s. scripturam*, juxta eum sensum, quem tenuit et tenet s. mater Ecclesia, cujus est iudicare de vero sensu et interpretatione ss. scripturarum, admitto; nec eam unquam nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor.

Profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta novae legis, a *J. Chr. D. N.* instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet: Baptismum, Confirm., Euchar., Poenit., Extr. Unctionem, Ordinem et Matrimonium, illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio iterari non posse. Receptos quoque et approbatos Ecclesiae cath. ritus in supradictorum omnium Sacramentorum sol. administratione recipio et admitto. Omnia et singula, quae de peccato originali et de justificatione in ss. Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum et proprium et propitiatorium Sacrificium pro vivis et def., at-

que in SSmo Eucharistiae Sacramento esse vere et realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate *D. N. J. Chr.* fierique conversionem totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem, quam conversionem cath. Ecclesia transsubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum *Christum* verumque Sacramentum sumi. Constantiter teneo purgatorium esse animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari. Similiter et Sanctos una cum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmiter assero imagines Christi et Deiparae semper Virginis necnon aliorum SSrum habendas et retinendas esse atque eis debitum honorem et venerationem impartiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse illarumque usum christ. populo maxime salutarem esse affirmo. S., cath. et ap. Romanam Ecclesiam, omnium ecclesiarum matrem et magistram agnosco, romanoque Pontifici b. Petri apostolorum principis successori ac *Jesu Chr.* Vicario veram obedientiam spondeo ac juro. Caetera item omnia a s. Canonibus et oecum. Conciliis ac praecipue a ss. Trid. Synodo tradita, definita et declarata indubitanter recipio atque profiteor simulque contraria omnia atque haereses quas-cunque ab Ecclesia damnatas et rejectas et anathematizatas ego pariter rejicio, damno et anathematizo. Hanc veram cath. fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eandem integram et immaculatam usque ad extremum vitae spiritum constantissime Deo adjuvante retinere et confiteri atque a meis subditis seu illorum cura ad me in munere meo spe-

ctabit, teneri et doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. spondeo, voveo ac juro, sic me Deus adjuvet et haec sancta Evangelia.

Nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostrae voluntatis et mandati infringere vel ei ausu temerario contraire.

Datum Romae apud s. Petrum 13. Nov. 1564.

m) Praelatorum Regular.

Vd.: *Profess. fidei* (a parochis etc., Constitut. Pii IV.; ab Abbatibus etc.).

Supracitatum Pii IV. Constitutionem quoad Regulares non esse in usu et sic EE. Cardinales et alios viros doctissimos consuluisse notat Hieronymus a Sorbo in compendio privileg. Mendic. verbo: Prof. fidei notab. I.; et sic tenet *Sanchez* l. 2. in Decal. cap. 5. n. 3.; *Portell.* in dub. Regul. verbo: Prof. fidei n. 3.; *Tamburin* de jure Abbat. t. I. disp. 8. q. 3. n. 3.; *Villalob.* in summa t. II. tract. 1. difficult. 6. n. 3.; *Diana* moral. resol. p. 3. tr. 2. Res. 78.; *Reiffenstuel* lib. I. decret. t. I. n. 161.

n) Emittenda a quibuscunque promotis et promovendis ad aliquam liberalium artium facultatem, electis et eligendis ad cathedras lecturas et regimen publicorum Gymnasiorum.

Pius PP. IV.

In sacrosancta beati Petri principis apostolorum cathedrae meritis licet imparibus hisce procellosis militantis Ecclesiae tempestatibus constitutos plurimum nos oportet esse sollicitos, ut Domini gregem curae nostrae commissum non solum ab apertis rapacium luporum undecumque caulis obstrepentium insultibus, sed etiam a magis

formidolosis pestiferarum vulpecularum domi latitantium insidiis, per profidum pastoralis officii ministerium ipso Domino cooperante praeservemus, ac illis omnes nocendi occasiones, quantum cum Deo possumus, ubilibet auferamus.

§. 1. Cum itaque juxta notum Sanctissimi Vatis oraculum timor Domini, sine quo vera Religio et catholicae fidei puritas nullibi reperitur, sapientiae sit initium et qui vel in scientiis proficere vel eas alios docere parant supremum illum sapientiae parentem, benignumque largitorem devoto sanae fidei obsequio demereri, veraque sinceræ Religionis pietate sibi conciliare debeant,

§. 2. Idcirco hanc fidei puritatem, scientiis doctrinisque quibuslibet, tum tradendis tum addiscendis, tamquam necessariam basim constituere et ne simplicia nonnullorum adolescentium res novas audiendi cupidorum ingenia in naufragos blandientium haeresum scrupulos imprudenter impingant, occurrere cupientes, Motu proprio et ex certa scientia nostra ac apostolicae potestatis plenitudine, quod deinceps nullus Doctor, Magister, Regens vel alius cujuscumque artis et facultatis professor sive Clericus sive Laicus ac saecularis vel cujusvis Ordinis regularis sit in quibusvis studiorum generalium universitatibus aut gymnasiis publicis aut alibi ordinariam vel extraordinariam lectoris cathedram assequi vel jam obtentam retinere, seu alias theologiam, canonicam vel civilem censuram, medicinam, philosophiam, grammaticam vel alias liberales artes in quibuscumque civitatibus, terris, oppidis ac locis etiam in Ecclesiis, Monasteriis aut Conventibus Regularium quorumcumque, publice vel privatim quoquo modo profiteri seu lectiones aliquas in facultatibus hujusmodi habere vel exercere,

Spiritum Sanctum Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui loquutus est per Prophetas. Et unam Sanctam, Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi saeculi. Amen.

Apostolicas et ecclesiasticas traditiones reliquasque ejusdem Ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector.

Item sacram Scripturam, juxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum admitto; nec eam unquam nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor. Profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta novae legis, a Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnino singulis necessaria, scilicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, extremam unctionem, Ordinem et Matrimonium illaque gratiam conferre et ex his baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemnem administrationem recipio et admitto. Omnia et singula, quae de peccato originali et de justificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo, verum, proprium et propitiatorium sacrificium pro vivis et defunctis atque in sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem, unicum animam et divinitatem Domini Nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius

substantiae vini in sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari. Similiter et Sanctos, unicum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse eosque orationes Deo pro nobis offerre atque eorum reliquias esse venerandas. Firmiter assero imagines Christi ac Deiparae semper Virginis necnon aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse atque eis debitum honorem ac venerationem impartendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse illarumque usum christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem et magistram agnosco. Romanoque Pontifici beati Petri Apostolorum Principis successori ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo ac juro. Caetera item omnia a Sacris Canonibus et oecumenicis Conciliis ac praecipue a Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita et declarata indubitanter recipio atque profiteor: simulque contraria omnia atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas et rejectas et anathematizatas ego pariter damno, rejicio et anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eandem integram et immaculatam usque ad extremum vitae spiritum constantissime Deo adjuvante retinere et confiteri atque a meis subditis seu illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri et doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. spondeo, voveo ac juro, sic

me Deus adjuvet et haec Sancta Dei Evangelia.

§. 11. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae ordinationis, inhibitionis, derogationis, voluntatis, statuti, decreti et mandati infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apost. se noverit incursum.

Datum Romae apud s. Petrum anno Incarnationis Dominicae 13. Novbr. 1564.

(Bull. r. t. II. p. 136. Ed. Luxembg. 1727.)

o) Emittenda a Provisis de beneficiis ecclesiasticis curatis ac dignitatibus, ecclesiis, monasteriis et aliis locis Ordinum Regularium et Militiarum.

Pius PP. IV.

Injunctim Nobis Apostolicae servitutis officium requirit, ut ea, quae Dominus omnipotens ad providam Ecclesiae suae directionem sanctis Patribus in nomine suo congregatis divinitus inspirare dignatus est, ad ejusdem laudem et gloriam incunctanter exequi properemus. Cum itaque juxta Concilii Tridentini dispositionem omnes, quos deinceps Cathedralibus et superioribus Ecclesiis praefici, vel quibus de illarum dignitatibus, canonicatibus et aliis quibuscumque beneficiis ecclesiasticis, curam animarum habentibus, provideri contingeret, publicam Orthodoxae Fidei professionem facere, seque in Rom. Ecclesiae obedientia permansuros spondere et juvare teneantur,

Nos volentes etiam per quoscumque, quibus de Monasteriis, Conventibus, Domibus et aliis quibuscumque locis

regularium quorumcumque Ordinum, etiam Militarium, quocumque nomine vel titulo providebitur, idem servari et ad hoc ut unius ejusdem fidei professio uniformiter ab omnibus exhibeatur, unicaque et certa illius formae innotescat, nostrae sollicitudinis partes in hoc alicui minime considerari, formam ipsam praesentibus adnotatam, publicari et ubique gentium per eos, ad quos ex decretis ipsius Concilii et alios praedictos spectat, recipi et observari ac sub poenis per Concilium ipsum in contravenientes latis, juxta hanc et non aliam formam professionem praedictam solemniter fieri, auctoritate Apostolica tenore praesentium districte praecipiendo mandamus hujusmodi sub tenore: Ego N. etc.

Reliqua vd. sub: *Professio fidei* (emittenda a quibuscunque promotis etc.).

Datum Romae die 13. Nov. 1564.

(Bull. r. t. II. p. 138. Ed. Luxembg. 1727.)

p) Num per Procuratorem emittenda?

Vd.: *Professio fidei Canon. Cath. et Colleg.* (oblig., decr. *Cathacen.* diei 26. Jan. 1726 et decr. *Seguntina*).

PROFESSIO

a) Monialium.

Vd.: *Bened. Monial.* (missa).

b) Regularium.

(Duplex est.)

Vd.: *Vota Regul.*

De ordine servando in causis super nullitate Professionis Regular., vd. Constitutio Bened. XIV. diei 4. Martii 1748 in Bull. r. t. XVII. p. 220.

§. 3. Neque Doctores ipsi aut Universitatum seu Gymnasiorum eorundem Rectores, Cancellarii vel alii Superiores, sed nec etiam Palatini Comites aut alii particulares facultatem eruditos viros ad eosdem gradus promovendi, etiam a Nobis Apostolica Sede vel alias undecumque habentes scholares, tam laicos quam clericos et cujusvis Ordinis regulares vel alios quoscunque quantalibet eruditione praedictos, ad ullum gradum in eisdem facultatibus suscipiendum recipere et admittere,

§. 4. Neque Doctores, Magistri et Scholares ad electionem alicujus in Rectorem vel Cancellarium Universitatis aut Gymnasii procedere, nec ipsi Scholares vel alii quantumlibet docti et alioqui habiles, gradus hujusmodi vel eorum aliquem, palam vel privatim, recipere valeant, nisi Doctores videlicet ac Regentes, Magistri et alii professores jam ad cathedras et lecturas recepti, in Italia infra tres, extra vero illam infra sex menses a die publicationis praesentium computandos, reliqui vero ad cathedras et alias lecturas ibidem in posterum assumendi ante illorum receptionem, in Rectoris vel aliorum Superiorum, eligendi autem in Rectores vel Cancellarios ante illorum electionem vel saltem admissionem in Ordinarii loci vel ejus in spiritualibus Vicarii, ac promovendi Scholares et alii praefati ante illorum promotionem in eisdem Ordinarii seu ejus Vicarii aut Doctorum aliorumve promoventium manibus, praevio etiam processu vel debita informatione, quantum ejus sufficere videbitur, super Religione Fideque Catholica Rectorum, Cancellariorum, Doctorum, Lectorum et promovendorum eorumque per ipsos locorum Ordinarios vel eorum Vicarios rite facta praecedente, eandem catholicam fidem, verbis juxta formae infrascriptae tenorem conceptis palam

et solemniter profiteri teneantur. Et desuper instrumentum publicum confici ac de processu seu informatione et fidei professione in privilegio doctoratus vel alterius gradus hujusmodi specialis, ac de verbo ad verbum mentio et relatio fieri debeat, auctoritate Apostolica tenore praesentium perpetuo statuimus et ordinamus.

§. 5. Ac omnibus et singulis earundem Universitatum et Gymnasiorum Rectoribus, Doctoribus et aliis Superioribus ac alias facultatem doctorandi habentibus, cujuscumque status, gradus, ordinis, conditionis et praecellentiae fuerint, etiam si Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali vel majori dignitate etiam Cardinalatus honore ac Ducali vel alia etiam Regia et Imperiali auctoritate praefulgeant, ne quem in Universitatibus, Civitatibus, Oppidis vel aliis locis sibi in spiritualibus vel temporalibus subjectis, aliter Cathedras aut alias lectiones retinere, consequi vel ad gradus promoveri, respective patiantur, in virtute sanctae obedientiae et *sub interdito ab ingressu Ecclesiae quoad Antistites, quo vero ad inferiores sub excommunicationis latae sententiae necnon privationis omnium et singulorum dignitatum, beneficiorum, officiorum et feudorum ecclesiasticorum per eos quomodolibet obtentorum et inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda, eo ipso per contrafacientes incurrendis poenis districtius inhibemus.*

§. 6. Ac quascunque receptiones, promotiones, electiones et admissiones absque processu certaue de Religione et fide Catholica notitia ac dicta fidei professione, sic, ut praefertur, praecedente, pro tempore factas, nullas, invalidas nulliusque roboris vel momenti esse, neque cuiquam in judicio vel extra suffragari posse.

§. 7. Sicque per quoscunque Judices et Commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere ac quidquid secus a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum et inane decernimus.

§. 8. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac Universitatum et Gymnasiorum, Ordinum et locorum quorumcumque etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, facultatibus et literis apostolicis eisdem Universitatibus et Gymnasiis ac Ordinibus et locis eorumque Rectoribus, Doctoribus, Superioribus, etiam in temporalibus Dominis, Comitibus Palatinis et aliis etiam regularibus personis praefatis sub quibuscunque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis aliisque efficacioribus, etiam vim contractus inducentibus clausulis irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam per nos ac sedem praefatam, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, seu ad quorumvis, etiam Imperatorum, Regum, Rerumpublicarum, Ducum et aliorum Principum instantiam et alias quomodolibet concessis, ac etiam pluries approbatis et innovatis, quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret illorum veriores tenores, ac si de verbo ad verbum inserentur, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, specialiter et expresse motu

simili derogamus, contrariis quibuscunque, aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdicti, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

§. 9. Ne autem quispiam ignorantiam praetendere vel excusationem allegari possit, sed ipsae ad omnium notitiam deducantur, volumus et mandamus, quod eadem praesentes in Basilicae Principis Apostolorum de Urbe et Cancellariae nostrae valvis ac acie Campi Florae per aliquem ex Cursoribus nostris affixae copia illarum ibi dimissa, omnes in Italia intra tres, extra vero illam existentes intra sex menses proximos ab ea die affixionis computandos, perinde arcant ac si illis personaliter intimatae fuissent.

Forma autem dictae Professionis Fidei haec est:

Ego N. firma fide credo et profiteor omnia et singula, quae continentur in symbolo fidei, quo S. R. E. utitur, videlicet: Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum *Jesus Christum* Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis. Et incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos, cujus regni non erit finis. Et in